

1348-1348- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Lugdunum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Lugdunum celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XLVIII° .

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predictor generalis, dicto officio sit privatus.

Item hanc: In ordinario, ubi dicitur: dominica prima ante festum trinitatis et deinceps usque ad primam dominicam augusti etc., deleatur: prima, et dicatur: secunda.

Item hanc: Quod de translacione beati Petri martyris fiat festum totum duplex feria sexta post octavas corporis Christi, et magister ordinis de officio providebit.

Item hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: Ex Maria virgine et homo factus est, deleatur istud: ex Maria virgine et homo factus est, [et] ponatur: simul adoratur et conglorificatur.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: per totam hebdomadam, addatur: et ad credo in missa ad: Ex Maria virgine et homo factus est.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis et institutione supprioris, ubi dicitur: Fratres autem post annos quatuor a professione, deleatur: quatuor, et dicatur: decem.

Item. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: infra vero quinquennium, deleatur: vero quinquennium, et dicatur: infra decennium vero a professione. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In ordinario de oracionibus dicendis in missa, ubi dicitur: a deus omnium usque ad adventum feria tercia, secunda de beato Dominico, tercia: deus omnium fidelium, addatur: si vero missa de beato Dominico fuerit, secunda erit de sancto Thoma. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur: tres de ipsis electoribus, et totum, quod sequitur usque ibi: si vero post confirmationem. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc: In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmatione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc. Quod de beato Vincencio martire fiat festum totum duplex, et magister ordinis de sequencia providebit. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum bona consistencia nostri ordinis in personis ydoneis consistat, et, deo permittente, numerus fratrum nostrorum per communem pestilenciam sit in diversis partibus dimminutus, rogamus fratres universos et eis imponimus, quod in attrahendo bonos et aptos iuvenes ad ordinem sollicitudinem exhibeant diligentem, et recipientur ad presens in quibuscumque conventibus, eciam si sint de terminis alienis sic tamen, quod iuvenes sic recepti ad illos conventus perpetuo pertineant, in quibus et pro quibus fuerunt recepti; et hoc intelligi volumus de fratribus iam receptis. Piores vero provinciales compellant efficaciter priores conventionales et eorum conventus ad satisfaciendum fratribus, qui expensas fecerunt tam in vestibus quam in aliis pro receptione iuvenum predictorum. Hanc tamen ordinacionem extendi nolumus ad conventus studiorum generalium, in quibus recepti novicii pertinent ad conventum, pro quibus, non in quibus sunt recepti, et provideatur eis de vestibus et necessariis per eosdem.

Item. Precipit magister ordinis de voluntate et assensu diffinitorum in virtute sancte obediencie fratribus universis, quod opus alchymie non exerceant quoquomodo. Qui vero contrarium fecerint, postquam deprehensi fuerint aut convicti, preter penam inobedientie carceri mancipentur et omnibus graciis ordinis sint privati.

Item. Mandamus et ubique volumus observari, quod apostate, eo ipso quod apostataverint, libris et omnibus sibi appropriatis totaliter sint privati, et postquam ab apostasia redierint, nullo modo restituantur eisdem.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod libri fratrum decedencium pro libraria utiles non venudentur, nisi consimiles in communi libraria habeantur. Et idem intelligi volumus de calicibus, reliquiis et iocalibus sacristie, quod non vendantur nec impignorentur nisi in articulo necessitatis et de licencia prioris provincialis. Libri tamen loycalium et naturalis phylosophie et libelli seu quaterni questionum seu sermonum concedantur studentibus et lectoribus et terminariis per priorem de consilio disretorum.

Item. Ut iuvenes ad studia promovendi possint in grammaticalibus et musicalibus fundari sufficienter, mandamus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod singuli in provinciis suis provideant de studiis grammaticae et musice, tot quot necessaria fuerint pro suis iuvenibus in grammatica et musica instruendis, et provideant dictis studiis grammaticae et musice fratribus ordinis vel secularibus ad expensas conventuum, si fuerit opportunum.

Item. Ordinaciones factas in precedenti capitulo generali de pertinentibus ad studia et de studentibus non licenciandis extra terminos suorum conventuum, et de non dando socio, qui vocatus fuerit a petente licenciam, renovamus et volumus eas in suo robore permanere¹.

Item. Ad obviandum maliciis falsariorum et refrenandum excessus quorundam graciis sibi concessis abutencium, gracias omnes seu licencias generales et exemptorias sub quacumque forma verborum fratribus quibuscumque concessas sive per magistrum ordinis sive per priores provinciales vel eorum vicarios generales revocamus et penitus annullamus.

Concedimus provincie Romane unam domum ponendam, ubi provinciali Romano et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire.

Item. Concedimus provincie regni Sicilie unam domum ponendam in Ebulo.

Item. Concedimus provincie Terre sancte duas domos, unam ponendam in Iherusalem et aliam in Bethleem.

Item. Rogat magister ordinis, quod si sint aliqui fratres devoti ad sepulchrum domini, significant eidem cum testimonio suorum priorum provincialium, et ipse libenter eos dictis domibus assignabit, dum tamen sint litterati, providi et experti. Item. Concedimus provincie Anglie unam domum ponendam in civitate Vigronensi².

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales Yspanie, Tholosane provincie, Lombardie inferioris et Terre sancte; et priores conventuales Aurelianensem, Beluacensem, Senonensem, Trecensem, Pruvinensem, Bergensem, Condomiensem, Lixoviensem, Kemperliensem, Constanciensem, Nannetensem, Pontensem. Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales in presenti capitulo absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno non resumantur.

Iste sunt instituciones.

Fratrem Robertum de Abbatisvilla absolvimus a prioratu conventus Ambianensis, et dictum fratrem Robertum instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Terre sancte.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Tholosana fratrem Heliam de Ferreriis, priorem in monasterio Prulliani, donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Lombardie inferioris fratrem Franciscum de Belluno, magistrum in theologia³, donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in Hibernia fratrem Adam Guarin, donec vicarius generalis dicte nacionis sit electus et per priorem provincialem Anglie confirmatus et in eadem nacione presens extiterit.

Item. Facimus vicarium generalem in conventibus Dalmacie fratrem Nicholaum de Ancona provincie Lombardie inferioris⁴.

Iste sunt assignaciones.

Ad legendum sentencias Parisius isto anno assignamus fratrem Bartholomeum de Ansyaco⁵ de provincia Francie, et quantum nostra interest ad legendum sentencias ibidem substituimus eidem fratrem Iohannem de Syaco⁶ de eadem provincia.

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti fratrem Guillelum Sudre⁷ de provincia Tholosana.

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum biblam Parisius pro anno sequenti fratrem Iohannem de Ambriaco, postquam frater Iohannes de Scelleriis⁸ suas terminaverit lectiones.

Assignamus lectorem in conventu sancti Dominici de Napoli fratrem Benedictum de Campomellis⁹.

Item. Assignamus lectorem in conventu Pragensi fratrem Leonem Raticensem.

Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi isto anno fratrem Bernardum Forlinensem; et in conventu Montispessulani fratrem Guillelmum de Blaym de conventu Dyensi.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, cursoribus et lectoribus biblie provideat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Numerus missarum pro vivis · xlvi ·, pro defunctis · xv ·

Pro qualibet missa quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus · c · pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod infra sequens capitulum generale tradant seu mittant fratri

¹ Cf. supra pag. 313 l. 12 sqq.

² “Vigronensi” intelligas “Vigorniensi” (Worcester).

³ De fr. Francisco de Belluno cf. supra pag. 311 l. 26.

⁴ De fr. Nicolao de Ancona cf. supra pag. 318 l. 14.

⁵ De fr. Bartholomeo de Ansiacho cf. supra pag. 319 l. 8.

⁶ De fr. Ioanne de Siaco cf. ibid. l. 10.

⁷ De fr. Guilelmo Sudre cf. DENIFLE l.c. pag. 619.

⁸ De fr. Ioanne de Celleriis cf. supra pag. 319 l. 12.

⁹ De fr. Benedicto de Campomellis cf. supra pag. 305

Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in curia Romana, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti; sub eodem tenore precepti, qui non satisfecerunt eidem pro preterito, infra natale domini eidem satisfacere teneantur.

Item. Precepit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis in virtute sancte obediencie, ne frater, cuiuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam accedat nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua fidem faciat per litteras magistri ordinis priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur.

Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse ipso facto, quam excommunicacionis sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negotiis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negotiis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis sibi statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Barchinone; et volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui sequenti anno diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem frater alias, eciam si licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam · vi · vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de conventu iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum vel capitulum generale.

Explicita acta capituli generalis apud Lugdunum celebrati anno domini · m^o ccc^o · xlvi^o · Amen.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCII.